

Coram R. P. D. Gerardo MCKAY, Ponente
Arausicana in California
Nullitatis matrimonii
(M - G)

P.N. 18301

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI, AMEN!

Benedicti Papæ XVI anno Summi Pontificatus primo, die vero 19 maii 2005, RR. PP. DD. Kenneth BOC-CAFOLA, Mauritius MONIER et Gerardus MCKAY, qui et in causa Ponens, Auditores de Turno in causa *Arausicana in California* nullitatis matrimonii inter:

M A M, actricem catholicam die 10 septembris 1944 natam, cuius domicilium in Californiana civitate V apud [...], in iudicio per Patronam ex officio Advocatam Alexiam Gullo repræsentatam et agentem, et

R E G, conventum die 2 ianuarii 1944 ortum ac pariter catholicum, in eadem civitate degentem apud [...], per Patronam ex officio Adv. Franciscam Renzi processui intervenientem;
intervenientibus et disceptantibus in causa R. D.no Ioanne Vaccarotto, H.A.T. vinculi Defensore, et Adv. Ioanne Luca Benedetti, ad casum specialiter deputato;

sequentem pronuntiaverunt sententiam definitivam.

Facti species

1. Partes mense septembri 1973 obviam factæ statim texere intenderunt necessitudines sponsales tales ut in Solemnitate Immaculatæ Conceptionis BVM eiusdem anni 1973 in Arausicana ecclesia S. Cæciliæ sacra nuptias celebrare canonicas iam statuerent. Mulier vero adhuc iuvenis nomen dederat alicui instituto religioso at, re in fine infecta, deliberato consilio sibi proposuit matrimonium ut statum vitæ ipsi magis consonum; necessitudines dein coluit cum quodam at hic religione protestantica firmissimus nolebat catholicam permittere educationem futuræ subolis. Quapropter consuetudine abrupta, mulier dum frequentat aliquam catholicorum associationem charismaticam futurum cognovit maritum; impellente sic desiderio cum catholico contrahendi matrimonium, urgentibus insuper viri adiunctis, brevi passu partes coram Ecclesia coniugale rite contraxerunt vinculum.

2. Quattuor ediderunt partes liberos et iam post primum partum (uno scilicet anno societatis coniugalis quasi elapso) res inter eas in peius versæ sunt. Etenim mulier lamentatur de mariti incuria illo tempore præ necessitatibus domesticis necnon prole, immo etiam erga ipsam personam consortis. Vir enim quasi negligenter sese gerebat præ commoditate familiæ, at apprime se demonstrabat aliquantum indifferentem erga adfectus animi uxoris prolisque. Attamen nec negari potest eundem virum abs dubio sancte servasse fidem, desiderasse matrimonium usque ad mortem, intendisse utique prolem procreare.

Mulier sane ob propriam formationem religiosam, non obstantibus adversitate miseriisque consortii

coniugalis, scrupolose perseverabat in observatione convictus coniugalis etsi haud semel therapeutas adhibuit ad consulendum suo animo afflicto. Atqui maturescentibus liberis – autumnus scilicet anni 1989 – mulier, adiuvante femina religiosa in arte psychotherapeutica perita, altius investigavit propriam conditionem adiunctaque, ac concludit demum consortium 22 quidem annos productum consilio suo nullatenus respondere authentico amori maritali. Matrimonii consortium die 15 decembris 1995, cum mulier dereliquisset maritum, naufragium sic fecit definitivum.

3. Libello autem 24 martii 1997 mulier penes tribunal Arausicanum in California causam introduxit contra matrimonium a seipsa contractum, terminis tamen genericis tantum, ob vitiatum nempe consensum. Præfato libello die 3 aprilis 1997 admissio, insequenti die 24 concordatum est dubium de gravi in actrice defectu discretionis iudicii, viro contradicente ac strenue validitatem vinculi propugnante. Etsi mulier plura graviaque querimonia contra viri in matrimonio modum agendi exposuit, ipsa, suadente, ut videtur, tribunali primæ curæ, studio autem omisit capita contra virum proponere pro nullitate matrimonii.

Causa instructa est declarationibus partium ac depositionibus testium ex parte actricis propositorum. Declaratio autem viri scripto prolata est, at sine recognitione eius iudiciali. Testes vero mulieris adnumerantur eius pater, A, frater eiusdem nominis, uxor præfati fratris, necnon amici, G P suaque uxor I, et A. In actis admissum est quoque responsum scriptum religiosæ Mariæ S quam ambæ partes primum anno 1989 adhibuerunt quamque actrix ob difficultates in consortio coniugali passas protracto tempore

consulebat. Natura autem præfati scripti non exstat perspicua: non dubitatur tamen quin psychotherapeuta præviam licentiam – ad mentem can. 1548 § 2, 1° CIC – obtinueret actricis, at omisit adhibere virum conventum; nec dubitatur quin præfata religiosa psychotherapeuta conclusiones profferet de partium aptitudinibus.

Attamen orta est difficultas in evolutione processus: vir enim institit ut visio ipsi concederetur universorum actorum; quod autem ei denegatum est decreto iudicis, formula apud plura tribunalia americana usitata, de genericis nempe periculis, sine autem demonstratione factorum in casu. His adiunctis attentis, præfata religiosa in fine processus declaravit se maluisse propriam depositionem revocare.

4. Die vero 21 aprilis 1999 iudex proposito dubio affirmative respondit. Notitiis decisionis sibi infensæ acceptis, vir immediate ad HAF appellavit ubi, Turno rite constituto, ad mentem canonis 1682 § 2 CIC appellata sententia præliminariter examinata est et decreto eiusdem Turni die 1 martii 2001 lato remissa est causa ad ordinarium examen. Petente interim parte actrice, subsequente die 21 martii Turnus ad disceputationem admisit nova capita nullitatis tamquam in prima instantia discutienda de a viro convento excluso bono coniugum et de eiusdem viri incapacitate assumendi onera coniugalia essentialia. Obtento in Rota voto super actis a Prof. Ioanne Fr. Zuanazzi redacto, publicatum est supplementum instructoriæ hac in sede perfectum. Die vero 10 octobris anni 2004 infrascriptus loco Exc.mi prioris Ponentis constitutus est; debite exhibitis pro partibus scriptis defensionalibus, prolatis insuper animadversionibus pro vinculo coniugali exaratis; Nobis nunc

est respondere propositis dubiis: *An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob gravem defectum discretionis iudicii in muliere actrice (can. 1095, n. 2) in secunda instantia, et ob incapacitatem viri conventi assumendi onera coniugalia essentialia (can. 1095, n. 3), necnon ob exclusum ab eodem viro bonum coniugum tamquam in prima instantia (can. 1101, § 2).*

In iure

De incapacitatibus de quibus in canone 1095, 2°-3° CIC

5. Matrimonium in fieri identificatur sane cum mutuo partium consensu legitime expresso; matrimonium vero in facto est obiectum memorati consensus. Insuper, obiectum consensus coniugalis distinguitur in essentialia et accessoria ita ut, si obiecto essentiali consentitur vitiato, consensus invalide exprimitur; si autem aliter vitiato, scilicet in accessoriis dumtaxat, valide quidem.

Essentiæ matrimonii facti pertinent quippe plures proprietates vel elementum: nam matrimonium a Creatore conditum essentialiter ornatum est proprietatibus unitatis atque indissolubilitatis; præterea, matrimonium a Christo Salvatore repristinatum atque supernaturaliter elevatum, si inter baptizatos celebratum, ceu elemento essentiali gaudet sacramentalitate.

6. Canon 1095 CIC tres distinguit incapacitates ad valide emittendum consensum coniugalem et, ut recte applicari possint normæ huius canonis, præ

oculis semper habenda est recta definitio instituti matrimonialis supra discussa. Gravis enim defectus discretionis de qua in altero numero laudati canonis 1095, ut frustrari valeat consensum emissum, talis esse debet ut cohibere tendat facultatem æstimativam vel electivam contrahentis (cf. Instructionem *Dignitas connubii* art. 209 § 2.2) relate tamen, ut diximus, non ad quævis negotia sed ad obligationes essentielles matrimoniales dumtaxat. En igitur momentum in processibus matrimonialibus exactæ definitionis coniugii essentiæ.

Alia vero incapacitas in tertio numero præfati canonis definitur ubi contrahens plene impar est implezioni obligationum essentialium: qui enim incapax invenitur implendi obiectum negotii eadem ratione non valet sane huic consentire.

Atqui de re notandum est meram inobservantiam in adimpletione obligationum essentialium in se incapacitatem partium idcirco demonstrare non valere. Qui enim obligationem non implet non necessarie habendus est eidem impar: requiritur præterea causa psychica quæ natura sua contra observationem etiam minimam obligationum plene obicit.

Insuper, in pensando obligationum observationem attendendum est distinctioni inter easdem: quædem enim servantur intentione negativa, proposito scilicet omissionis actuum contrariorum, una e contra intentione positiva, seu proposito quid faciendi. In specie, fides necnon sacramentum servantur intentione non mœchandi vel dividendi, intentione itaque negativa; essentialis tamen ordinatio ad prolis generationem e contra requirit quid positivum, seu concessionem iuris ad usum matrimonii. At præfatus usus non evenit nisi actu. Concessio vel adimpletio iuris positivi quoad commercium coniugale in iurisprudencia diu

ac definitive iam explorata sunt; studium autem systematicum sensus necnon sequelarum aliorum iurium positive servandorum, si et quatenus talia essentiae matrimonii reapse adhæreant, adhuc desideratur.

7. Nimirum, ipsum Magisterium pontificium et eidem fideliter obsequens iurisprudencia Rotalis pro admittendis incapacitatibus de quibus in tribus numeris canonis 1095 CIC causam seu anomalam requirere pergunt psychicam, et hanc gravem; quare Instructio *Dignitas connubii* nuper edita in art. 209 normas de re edicit exactas. In primis igitur omitti haud licet opus periti, ut hic de assertæ anomalie causa, origine, gravitate iudicem accurate edoceat. Dein, in specie, quoad scilicet assertum gravem defectum discretionis iudicii, periti est illustrare effectus anomalie in facultatem criticam et electivam peculiariter ad statum vitæ deliberandum; quoad vero assertam incapacitatem assumendi onera coniugalia essentialia, naturam ac gravitatem causæ psychicæ quæ ita demonstratur provocare veram impossibilitatem assumptionis onerum coniugalium. Iudicis vero est peritum eligere vel saltem relationem peritalem ut probationem admittere (can. 1575 CIC). Quam normam præ oculis habentes, inter peritiam et testimonium interdum distinguere debemus. Etenim haud raro in processibus nullitatis matrimonii examinandi sunt in re psychotherapeutica periti quos ratione eorum artis adhibuerant partes. Attamen, tales, etsi titulo professionali revera distincti, in processu canonico non periti sed potius ut testes formaliter habendi sunt. Nam peritus veri nominis in processum iudicialiter vocatur vel saltem, parte proponente, a iudice admittitur, ut, colloquio cum parte

cuius interest peracto, diagnosticis quoque instrumentis debite adhibitis, actis insuper ponderatis, capitibus a iudice definitis quidem respondeat. Proinde patet valorem depositionis alicuius therapeutæ, si ab una alterave parte propositorum, omissis autem gressibus supra indicatis, reponi potius in testimonio dicendo de factis ab ipso tempore preiudiciali visis vel auditis; valor igitur talis testimonii pro quæstionibus technicis est ergo potius indirectus. Si autem præfatus therapeutæ visione actorum caret abs dubio perfectam relationem peritalem conficere utcumque non valet.

Iudicis proprio pro munere est pensare conclusiones peritales sive quoad cohærentiam internam iuxta præcepta propriæ artis et scientiæ probatam (cf. can. 1574 CIC), sive quoad illam externam cum principiis anthropologiæ christianæ necessariam, sive demum quoad illam processualem cum universis causæ adiunctis (cf. can. 1579 §1 CIC). Patet autem peritum carere competentia pronuntiandi sive de ipsa validitate matrimonii sive de notionibus canonicis in genere. In specie, eidem nullatenus licet de proprietatibus elementisve essentialibus vel de matrimonii finibus iudicium ferre.

8. Quandoquidem idem canon 1095 totum suum sensum ab obligationibus essentialibus matrimonii trahit, ubi ob capita ibi indicata matrimonium accusatum est, necessariis, ut iam innuimus sub n. 6 supra in fine, distinctionibus procedendum est in re. Accurate enim distinguenda est essentia matrimonii consensu partium facti a finibus coniugii: matrimonium enim naturaliter, ut docet canon 1055 CIC, tendit saltem cum ad generationem educationemque prolis tum ad ipsorum coniugum bonum. Liquet ita-

que naturalem ordinationem instituti coniugalis ad procreationem prolis radicaliter specificare societatem matrimonialem. Homo igitur est animal sociale et sua ipsa natura ad texendas necessitudines interpersonales (quæ autem in statu postlapsario hominis etiam negativæ interdum exstare possunt) pellitur. Habentur itaque societates distincti generis: aut naturales, aut voluntariæ seu personales, sicut oriuntur aut ex ipsa natura humana, aut ex electione personæ (cf. John COWBURN, *Love and the Person. A Philosophical Theory and a Theological Essay*, London – Dublin – Melbourne 1967, Chapter 5 *Two Theories of Love: the Thesis*, 53-66). Proculdubio naturalis prorsus est societas quæ constituitur inter genitores et prolem, vel inter fratres; personalis e contra est illa electiva, movente amicitia et intuitu personæ, ceu coniugium. Coniugium autem ab aliis omnibus societatibus voluntariis penitus distinguitur, quia ab aliis quibusvis societatibus specificatur recta intentione cooperationis sexualis.

Vero, actus coniugalis suapte natura est intentionaliter procreativa. Ceterum, proles in nubendo mediate tantum intendi potest: ipsa enim procreatio, ut ex natura rei patet, directo imperio partium subesse nequit. Exacte igitur loquendo, in contractu coniugali alteri concedere debet pars non procreationem vel prolem sed potius ius ad actus per se aptos ad prolis generationem – hi certe plenæ voluntati partium subici possunt – et ita requiritur ac plene sufficit pro omni matrimonio, etiam sterili vel senili. Essentiæ ergo matrimonii est ut partes inter se concedant ius ad actus coniugales; at institutum coniugale optime exstare potest perfectum etiam sine editione prolis, quæ autem certo certius est finis naturalis actuum coniugalium. Ad rem docet Divus Thomas: «[...] et

inde est quod matrimonium numquam invenitur sine inseparabilitate; invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non dependet ab usu suo» (Comm. in Lib. IV Sententiarum 31.1.3 in c.) In casu tamen ad validitatem coniugii sufficit ipsa essentia quin itaque de facto attingatur finis, etiam procreativus ille, seu primarius matrimonii. Invaliditas coniugii e contra provocetur ubi alterutra pars incapax sit attingendi finem essentialem societatis nuptialis, aliis verbis, quæ ad mentem canonis 1084 §1 CIC impotentiae physicae laboret impedimento.

9. Distinctio ita exposita inter essentiam et fines matrimonii certe non est sine momento etiam pro validitate aliarum factispecierum nuptiarum, verbi gratia, cum de bono coniugum agitur. Abs dubio matrimonium ad bonum ordinatur etiam coniugum, atqui, simili ratione ac pro alio fine qui est generatio prolis, concludere debemus matrimonium in sua essentia exsistere posse etiam sine fine boni coniugum, quidquid sit, attacto vel impleto.

Attamen, quaestio de bono coniugum implexa admodum est: nam locutio Codicis vigentis quoad fines matrimonii introducta est loco illius finis secundarii mutui adiutorii et remedii concupiscentiae de quibus in canone 1013 §1 Codicis Piano-Benedictini. Nec deficiebat traditio canonica de momento illorum finium secundariorum pro validitate nuptiarum, quæ tamen validitas subruere non admittebatur etiam deficientibus finibus secundariis tantum. At in nova locutione de bono coniugum proponiturne quid ultra fines secundarios traditionales? Et hoc ut revera essentiale matrimonio? Estne forsitan bonum coniugum potius summa dumtaxat illorum bonorum de quibus docebat S. Augustinus?

10. Profecto, Romani Pontifices haud semel quæstionem exploraverunt, doctrinam de sensu christiano matrimonii calamo exposuerunt magistrali. Recentius itaque Leo Papa XIII in suis litteris encyclicis *Arcanum* die 10 februarii 1880 sub numero 8 docuit: «Secundo loco sua utrique coniugum sunt officia definita, sua iura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper effectos, ut amorem maximum, constantem fidem, sollers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant».

De eadem re in litteris encyclicis *Casti connubii* (AAS 22 [1930] 539-592) abundantius ac luculenter docebat Pius Papa XI fel. rec. plura. Definitis igitur verbis de finibus matrimonii Ipse: «Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalibus iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiæ sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio» (AAS 22 [1930] 561).

Et cum exposuisset magisterium de augustinianis bonis matrimonii Pontifex ad eadem accurate referre voluit etiam fines secundarios coniugii. De bono igitur prolis notatur: «Iamvero educationi optima qua fieri potuit ratione provisum est in matrimonio, in quo, cum parentes insolubili inter se vinculo connectantur, utriusque opera mutuuum auxilium semper præsto est» (AAS 22 [1930] 545-546).

Fusius atque eloquentius dein illustrat Papa bonum coniugum quod in illo fidei invenitur: «Hæc mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus, etiam pri-

maria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitæ communio, consuetudo, societas accipiat» (AAS 22 [1930] 548-549).

Similiter affirmat Ipse de bono sacramenti: «Quot vero quantaque ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, eum fugere non potest qui vel obiter cogitet sive de coniugum prolisque bono sive de humanæ societatis salute» (AAS 22 [1930] 553).

Bonum itaque coniugum, quod nondum autem a iurisprudentia Rotali exacte identificatum ac delineatum est, utique attingitur iam cum servantur fides necnon sacramentum, cum editur proles. Habetur quoque atque ad effectum adducitur cum coniuges mutuo sunt auxilio, cum alter alterum ad perfectionem humanam atque apprime christianam stimulat ducitque: «[...] *the most essential end of marriage is the procreation and education of offspring but its most excellent end lies on the supernatural level of personalist development*» (Bernard LONERGAN, «Love, Finality, Marriage», in *Collection. Papers by Bernard Lonergan, S.J.*, London 1967, 17).

11. His notatis, nos effugere non potest momentum distinctionis inter finem et ius. Consentiens enim in nubendo coniugi confert iura, sibi ipsi erga coniugem assumit obligationes. Ceterum, iura matrimonialia in se sic et simpliciter identificare non licet cum finibus coniugii; etenim, ius obligationesve inviolabiles sunt, finis e contra, ut iam diximus, non semper attingitur.

Præterea notandum est assecutionem finium matrimonii pati posse interruptionem (ut iam liquet ex natura procreationis prolis); dicimus ergo etiam

finem boni coniugum tractu continuo in usu non gaudere nec eundem finem in sua plenitudine afferri posse: bonum enim quo coniuges in matrimonio utuntur semper ad melius adduci potest, producta serie actuum in quibus exprimitur atque attingitur. Ex quo sequitur etiam deminutionem, omissionem actuum, vel etiam commissionem actuum dicto bono contrariorum in se non demonstrare impossibilitatem attingendi idem bonum. Qui enim non facit non itaque reputandus est incapax faciendi.

De simulatione consensus matrimonialis

12. Contrahens invalidas nuptias celebrat, ut docet can. 1101 CIC, dum proferens consensum externe sufficientem ac perfectum, interius ipsi contractui circa idem negotium, vel aliquod eius elementum, vel aliquam eius proprietatem essentiali matrimonii inhærentem, deliberato consilio reapse, etsi interius tantum, dissentit. Perdifficile sane est intima hominis certe cognoscere, at iurisprudencia Rotalis caput simulationis tenet probatum cum habetur confessio partis simulantis, apprime extraiudicialis, testibus fidedignis tempore non suspecto patefacta et ab eisdem testibus coram iudice dein confirmata, insuper perpensis adiunctis matrimonium antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus, omnia hæc necessaria quæ demonstrare possint causam simulandi ab illa nubendi bene distinctam in voluntate contrahentis re vera prævaluisse.

In actu simulationis excluditur itaque vel ipsum matrimonium vel proprietas vel elementum essentiali: canon vero 1056 CIC præfatas definit proprietates esse unitatem et indissolubilitatem, implicite indicans sacramentalitatem, ut docet canon 1055 §2

CIC, in matrimonio inter baptizatos contracto esse elementum essenziale. At, definitis proprietatibus ac elemento essentialibus, memoratus canon bonum coniugum non tractat: hoc enim, ut recordatur canon 1055 §1 CIC, inter fines matrimonii potius est ponendum, ab essentia igitur instituti coniugalis bene distinctum.

De distinctione inter capita nullitatis servanda

13. Etsi super eadem facta fundata, capita nullitatis in eodem processu proposita necessarie – sub aspectu saltem formali – sunt distinguenda, nec admitti licet, in specie, argumenta pro incapacitate contrahentis ad adsumenda onera coniugalia essentialia in se sufficere posse pro adserta ab eadem parte simulatione consensus matrimonialis.

In facto

Quoad gravem defectum discretionis iudicii in muliere

14. Dubio de in muliere gravi defectu discretionis iudicii in altero gradu iurisdictionis Nobis proposito infrascripti Patres negative respondere censuere: etenim in muliere actrice specifica abnormitas psychologica gravis non demonstratur. Nam non sufficit verbum facere de aliqua immaturitate vel simplicitate animi sine autem diagnosi definitæ anomalix psychicæ quæ, ut docet in art. 209 Instructio *Dignitas Connubii* nuper edita, gravis, insuper tempore nuptiarum iam præsens, reapse impedit contrahentem in æstimatione vel libera electione status vitæ. Atqui talis incapacitas non est confundenda vel cum

mera omissione usus discretionis vel cum imprudentia in electione facienda, quapropter factispecies causæ gravem defectum discretionis iudicii in mulieris plane excludit.

15. Hæc enim, voluntati coniugaliter vivendi familiamque fundendi obsecundans, vitæ religiosæ valedicere maluit. Dein conversationem sponsalem cum aliquo colebat, at, attentis adiunctis quæ haud propitia videbantur sincero matrimonio christiano, electionem status vitæ apte ponderavit atque in finem primum sponsum dereliquit, iterum sic demonstrans et capacitatem et exercitium discretionis iudicii in nubendo.

Mulier vero post decessum e vita religiosa, at ardore catholico semper mota, sub nomine alicuius cœtus charismatici tunc militabat et sic obviam habuit virum conventum. Et admitti potest mores horum charismaticorum in pluribus cum vera prudentia christiana vix reconciliari posse: momentum enim acriticum admodum dabant locutionibus interioribus vel phænomenis uti certis signis voluntatis divinæ, et ita porro; insuper communitas suos sequaces ad promptum atque inconditionatum responsum voluntatis divinæ exhortabatur.

16. Præterea, imprudentia in agendo non est cum incapacitate discernendi onera coniugalia confundenda. Psychotherapeuta autem, a muliere 16 transactis annis a nuptiis celebratis adhibita, una ex parte opinata est festinationem quacum celebratæ essent nuptiæ facultatem criticam actricis erga defectus viri obcæcasse (Summarium 93). At eadem psychotherapeuta altera ex parte mulierem aptam ad onera coniugalia sustinenda retinere non dubitavit (Sum-

marius 94). Quoniam decretum quo causa ad ordinarium examen remissa est sub n. 13 iam notaverit adserta psychotherapeutæ demonstrasse forsitan imprudentiam sed nullatenus defectum discretionis iudicii ut in iurisprudencia Rotali definitum, hac in instantia opus erat voto peritali super universis actis causæ perficiendo.

In æstimandis vero conclusionibus Rotalis periti super actrice prolatis, præ oculis tenenda est dicta distinctio inter discretionis iudicii et imprudentiam. Ipse enim affirmat: *«Era pertanto in lei una certa ingenuità, inesperienza e inadeguatezza psicologica, con mancanza di sufficiente critica ed autostima»* (Summarium alterum 10/7). At talis conclusio remedium afferre non valet obiectioni iam in decreto remissionis causæ ad ordinarium examen expositæ: nam adiuncta enim festinatæ decisionis nubendi «adduci possunt ad indicandum periculum capiendi haud prudentem decisionem propter ignorata vitia alterius partis, minime vero ad probandam gravem defectum discretionis iudicii, qui ex severa forma anomalie psychicæ exoriri debet et respicere ad iura et officia matrimonialia essentialia mutuo tradenda et acceptanda cum comparte» (Decretum n. 13).

Simili ratione in actrice excludendus est defectus libertatis internæ: causa enim quæ exercitium libertatis internæ, ut a canone 1095, 2º CIC necnon art. 209 Instructionis *Dignitas connubii* requiritur, impedit gravis esse debet et insuper natura psychica. Attamen in relatione sua peritus Rotalis de mulieris motivis in nubendo aliam dat explanationem: *«La libertà interna e la consapevolezza erano in M A M notevolmente limitati [sic] dal suo convincimento di dover seguire comunque un dettame di Dio in campo matrimoniale [...]»* (Summarium alterum 10-11/8),

quod non est nisi aliis verbis affirmare mulierem propriis principiis religiosis motam libertate interna usam esse, secundum criteria tamen sese gerentem quæ oculis alienis imprudentia viderentur. Quapropter concludimus mulierem in usu facultate sua electiva radicaliter non fuisse impeditam.

Quoad viri incapacitatem assumendi onera coniugalia essentialia

17. Dubio de viri incapacitate assumendi onera coniugalia essentialia tamquam in prima instantia concordato infrascripti pariter negative respondere statuerunt.

Peritia super actis hac in instantia exhibita concludit virum quadam abnormitate psychologica tempore nuptiarum laborasse. Peritus enim Rotalis affirmat virum passum esse «*un Disturbo di Personalità complesso e misto*», quod interpretatur: «*un insieme di disturbi di personalità specifici*»; prosequitur indicando in specie præsentiam deordinationum obsessivo-compulsivæ et schizotypicæ (Summarium alterum 6-7/1). Effectus vero talis condicionis ponuntur in quendam «*disagio clinicamente significativo e la compromissione in più aree importanti del funzionamento psichico*» (Summarium alterum 6/1). Exactius autem peritus definire satagit sensum deordinationis: «*A mio parere la patologia del convenuto era grave per le rilevanti anomale carenze in campo affettivo nei confronti di moglie e figli, per la mancanza di empatia ed autocritica, per l'egocentrismo a sua volta supportato da pensiero magico e fanatismo pseudoreligioso*» (Summarium alterum 8/4). Iterum: «*Il disturbo di cui il convenuto sig. G era portatore limitava notevolmente la capacità di*

assumere gli obblighi essenziali, in specie al riguardo del bonum coniugum» (Summarium alterum 9/6).

Atqui in proferendo tali iudicio nemo est quin videat propria confinia transgressum peritum. Ad iudicem tamen spectat iurisprudentiam ad casum applicare; periti e contra secundum doctrinam ac definitiones eius artis est condicionem psychicam denotare, addita insuper explanatione et originis et effectus deordinationis. Opus vero iudicis deinde, in casu assertæ incapacitatis assumendi onera, est universa adiuncta causæ una cum conclusionibus peritalibus in ordine ad obligationes essentielles coniugales recte perpendere.

18. Patrona partis actricis, causam clientis pro posse orans, tres proponit aspectus sub quibus vir obligationum incapax iudicari debet: interpersonalem, sexualem, necnon quoad bonum prolis.

Quoad aspectum sexualem. Omnibus pernotum est modum quo usum sit matrimonio, nisi ab actu humano prorsus alienum, essentiam matrimonii haud attingere nec inter officia coniugalìa adnumerari posse. Copula enim satiativa, seu uni alterive parti grata, res omnino subiectiva est, imperfecte valde sub dominio facultatum superiorum, ad coniugii bene esse dumtaxat pertinens. Argumentum igitur Patronæ sub hoc adspectu et ex natura sua omnino impar exstat demonstrationi nullitatis matrimonii.

Quoad aspectum interpersonalem. De necessitudinibus coniugum in primis animadvertendum est has semper perfectibiles exsistere, nec earum qualitatem vel frequentiam cum capacitate partis easdem eliciendi confundi debere. Præterea, inter relationes interpersonales quæ vinculum coniugale exprimunt atque ad actum adducunt apprime agnoscenda est

observantia fidei matrimonialis usque ad mortem servanda. Quod in casu conventus voluit utique ac fecit. Synthesin autem gravaminum mulier proponit suum maritum toto cursu consortii coniugalis defecisse adfectu maritali. Attamen ut obiectum consensus matrimonialis adfectus certe admitti non potest. In rem modo præclaro animadvertit Urbanus Navarrete: *«Ora, l'amore coniugale, sebbene si esprima per atti – azioni e prestazioni – formalmente è un habitus, un fenomeno psicologico non soggetto all'impero diretto della volontà»*. Quapropter concludit inlustris Magister: *«Essendo questa l'indole propria dell'amore coniugale, sembra chiaro che questo amore non possa essere oggetto di patto (contratto). È una res facti che non può essere assunta nel campo di diritto»* (Urbano NAVARRETE, *Quædam problemata actualia de matrimonio*, Romæ 1972, 44-45).

Sic in casu nostro: vir enim conventus deliberate sibi assumpsit obligationes essentielles easque servavit, etsi erga uxorem interdum deficiebat adfectus.

Quæ observationes pro tertio indicio incapacitatis quod profert actricis patrona pariter valent: nam hæc asserit virum fuisse boni prolis incapacis. At essentia boni prolis primum invenitur in collaboratione cum Creatore quam intendunt partes quando coitu intentionaliter procreativo utuntur matrimonio. Intentio vero procreativa qua partes vitam volunt dare proli sufficit ut servetur essentia matrimonii; educatio e contra est boni prolis integrativa et ad idem accessoria. Vel minus est adfectus paternus cum procreatione vel educatione prolis confundendus quare, etsi vir adfectu paterno erga liberos coartabatur, nullatenus demonstratum est ipsum officiiis essentialibus defecisse.

Quoad a viro exclusum bonum coniugum

19. Profecto mirum quod patrona pro capite hac in instantia a parte actrice prima vice proposito pro excluso a viro convento bono coniugum nullum præbet argumentum, nisi unum indirectum: adfirmat enim omnia quæ pro viri incapacitate assumendi onera coniugalia essentialia exposita sint necessarie pro hoc caput valere. Futiliter tamen. Nemo enim est quin videat sic argumentari distinctiones inter capita nullitatis penitus obliterare: nam in casu requiritur, saltem sub aspectu formali, argumenta exponere nova quibus, etsi super iisdem factis, demonstrari possit assertus defectus consensus coniugalis.

Utrumque, reapse deest omne elementum ad probandam exclusionem boni coniugum, etiamsi hoc ut proprietas vel elementum essentielle matrimonii agnosci posset et, iterum, iuridicæ capax esset definitionis.

Præterea, contra assertum actricis militat ipsa acta causæ quia haud dubitatur quin vir vinculum coniugale sancte servaret, volens usque ad mortem in eodem perseverare, prolem desiderans procreare. In his saltem, quæ ut luculenter ac perbelle docebat, ut supra in iure inlustravimus, Magisterium Pontificium bona fidei, sacramenti, prolisve indubitantur sunt iam bonum coniugum. Atqui vir in his omnibus se demonstravit capacem et eosdem fines revera persecutus est.

20. Insuper attendendum est definitæ naturæ capitæ asserti, quod proponere vult virum actu voluntatis contra quid essentialia coniugii intenderat ut matrimonium excludere posset. In actis tamen haud inveniuntur elementa probatoria: vel confessio partis, vel

corroboratio testificalis, vel causa saltem proxima simulandi et hæc potior causa contrahendi, vel ad argumentum apta adiuncta matrimonialia. Cum ergo concludere cogamur præfatum caput ab omni fundamento penitus destitui, infrascriptis bene visum est iterum negative respondere ad dubium ita propositum at nullatenus oratum.

Quibus omnibus cum in iure tum in facto pensatis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum præ oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, declaramus ac definimus, propositis dubiis respondentes:

**NEGATIVE,
seu non constare de matrimonii nullitate,
in casu, ob ullum caput adductum.**

Ita decernimus, mandantes Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut hanc Nostram sententiam definitivam ad normam iuris et iuxta vigentem praxim, iis, quorum interest, notam faciant, ad omnes iuris effectus.

Romæ in Sede Tribunalis Romanæ Rotæ datum die
19 maii 2005

Kenneth BOCCAFOLA
Mauritius MONIER
Gerardus MCKAY, Ponens